

## ASTYAGES.

**N**on discedam à Regibus, quorum e-  
 uentibus iuxta se positis, cuius la-  
 tius appareat, quantus sit labor fortunæ  
 iugum, & adamantinas catenas, quibus  
 humanum illa genus alligat excutere. A-  
 styages Medorum Rex, uirnam filiaæ Man-  
 danes, cunctos Asiæ populos inundantem  
 cum dormiens vidisset, id ad nascituri ne-  
 potis magnitudinē pertinere arbitratus,  
 eamque iam causam suspectam habens,  
 quæ nulla erat, natam licet unicam sibi  
 nec ex Medis oriundo, nec suæ sortis viro  
 (ne partus fortè vel Patria vel sanguine  
 superbiret) sed procul in Persis, gente  
 tunc humili & ignota, Cambyssi, fortunæ  
 mediocri homini uxorem dedit. Visus  
 est item cernere vitem ex eiusdem geni-  
 talibus exortam, tam mirabilis incre-  
 mēti, ut omnes Regni sui angulos adum-  
 braret. Sed enim meru subrametum ad-  
 dito, natum nepotam iussit exponi, ut ait  
 Valerius, ut Iustinus, interfici: Vtrumlibet  
 frustra fait: Hic enim puer ille Cyrus est,  
 qui Asiam omnem & inundare coegit  
 sanguine, & Imperio pressit, deiectoq; ar-  
 mis auo, Medorum Regnum transtulit in  
 Persas, Regum primus & maximus.

ALE.